

ne provisa Vicaria celeriter crescere coepit et ultra limites quoque Bosnae expandi continuavit.

Primum conventum in Mileševu ipse banus Stephanus construi fecisse fertur.<sup>142</sup> Anno vero 1347 acquiruntur duo loca, unum in Stagno, alterum in Đakovo.<sup>143</sup> Deinde a. 1357 Papa Clemens VI licentiam concedit recipiendi alia duo loca: in Cetina unum, in Crupa vero alterum.<sup>144</sup> Anno autem 1372 Gregorius XI erigere permittit unum locum in Roinich (Rudnik?), alia duo in dominio regis Rasciae, unum in Glaës dominio regis Hungariae, atque alia novem in civitatibus Bosnae, Rasciae et Basarat.<sup>145</sup> Idem denuo eodem anno 1372 erigi concedit sex loca in metis Hungariae circa Sebes et Majorem Vlachiam, circa metas Bosnae in Absan et Corbavia.<sup>146</sup> Anno vero 1374 eisdem facultatem facit alia septem loca recipiendi in contratis seu partibus Tinnin, Vilkrika et Vrbas.<sup>147</sup> In insula Corcyra jam 1383 suum conventum habent.<sup>148</sup> Ita ergo haec Vicaria vertente saeculo XIV septem custodias et plus quam 42 monasteria numerabat<sup>149</sup> atque vastissimam regionem septentriionalem peninsulae Balcani a mari Adriatico ad Pontum usque Euximum pertingens occupabat.<sup>150</sup>

Attamen in tam magna communitate ingenti amplitudine laborante divisiones necessario oriri debebant, uti sequentis saeculi eventus comprobarunt. Anno enim 1448 separantur conventus Hungariae et in speciale Vicariam constituuntur.<sup>151</sup> Confinium inter utramque Vicariam statutum erat flumen Sava.<sup>152</sup> Anno deinde 1464 Vicariae Bos-

<sup>142</sup> Othmer, o. c. 30—31.

<sup>143</sup> BF, VI, 194—195 n. 407.; Fermendžin E., *Chronicon observantis provinciae Bosnae Argentinae Ordinis s. Francisci Seraphici*, Zagreb 1890, 8, nota 1.

<sup>144</sup> BF, VI, 300 n. 712, 302 n. 718.

<sup>145</sup> Theiner, *Mon. Hung.*, II, 116 n. 231.

<sup>146</sup> Ibidem II, 140 n. 276.

<sup>147</sup> BF, VI, 535—536 n. 1343.

<sup>148</sup> Jelenić, *Kultura i bosanski Franjevci*, I, 36.

<sup>149</sup> Ibidem, 37—38.

<sup>150</sup> Holzapfel, o. c. 146.

<sup>151</sup> BF, VIII, 592 n. 1165.

<sup>152</sup> Ibidem; Rupčić, o. c. 35.